

non^v in quantitate staturae, sed in qualitate vestimentorum dissimilia. Unde accidit, quod corpus militis in ambitu eiusdem monasterii locum sepulturae sortiretur, eo quod propter apparatus pretiosarum vestium hoc comitis esse crederetur. Econtrario vero corpus comitis, quod vulgaribus vestibus fuit obductum, quia hoc credebatur esse militis, in communi cimiterio ibidem fuit tumulatum. Post multum vero temporis beatus Conradus praedictum monasterium gratia visitandi accessit. Quem fratres monasterii benigne susceperunt et usque ad locum sepulchri, in quo iacebat corpus praedicti comitis, perduxerunt. Dixeruntque ad eum: „Ecce hic commendatum est terrae corpus patris tui.“ Quibus ille respondit: „Non est hic, sed venite mecum et ego ostendam vobis certum locum.“ Cumque venissent in ambitum iuxta sepulcrum, in quo putabatur corpus comitis esse reconditum, ostendens locum digito indice ore prophetico sic ait: „Ecce hoc est sepulcrum patris mei.“ Hic devotus lector attendat, quod huiusmodi sepulturae localis mutatio non casualiter acciderit, sed potius, ut digne pro meritis filii pater in digniore loco sepeliretur et in filio prophetalis virtus esse probaretur. Ergo sicut placuit praedestinanti altissimo, ita factum est. Nam sicut ob meritum beati Conradi Christus dominus animam defuncti eripuit a poenis et transvexit ad caelum, ita et corpus eius sub aquis fecit inveniri et in monumento digno debito sepeliri.

Cap. 15 [De responsione matris suae facta de tumulo]

Postremo illa egregia vitis, mater inquam Conradi, de terra hac succisa est et soluto templo corporis anima in caelestibus coronanda egreditur. Cuius recordatio a corde unici sui non recessit, quia debitus et maternus amor artius hanc inpressit. Praesertim quia non solum ipsa fuit mater, sed etiam magistra. Nam sicut ab uberibus maternis corpus vitale suscepit alimentum, sic et anima ab eius magisterio fidei et morum operante deo accepit fundamentum. Haec est, inquam, illa, quae filium suum timere deum docuit et orationem peculiarem plagis Iesu Christi offerre iussit. Cuius iussioni filius parens hoc ab infantili aetate servavit et nunc ab ipsis vulneribus traxit myrrhata suspiria, nunc suxit mellita gaudia. Et dum de statu matris suae revelatione certificari desideraret, facta est ad eum vox dicens: „Conrade, si de statu matris tuae certificari vis, ad tumulum eius accede et ibi certificaberis.“ Confestim ipse accessit ad tumulum et, dum in gemitibus et lacrimis orationem suam terminasset, interrogavit dicens: „Qualiter vales, dilecta mater?“

v) *fehlt W₁*.